

www.e-rara.ch

**Omnium operum divi Eusebii Hieronymi Stridonensis Tomus
primus[-nonus]**

Hieronimus, Sophronius Eusebius

Apud inclytam Basileam, [1516]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-150989>

[Ad Paulam Et Eustochium De Assumptione Beatae Mariae Virginis Sermo]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CENSURA EPISTOLAE SEQVENTIS.

C Totus huius epistolae stilus sic abhorret ab Hieronymiano, ut non dubitem negare Latinū fuisse qui scripserit, sed Græcum. Resipit enim sermo totus Græcitatem quandam, & balbutiē hominis in aliena lingua uersantis, id quod ipse propemodum, testatur cum ait: Latino utens æloquio. Quorsum enim attinebat Hieronymum præfari Paulæ & Eustochio se latine uelle scribere, cum quicquid scripsit, Latine scripserit. Deinde cum addit, Infantium more balbutientiū, qui quæcūq; audierint, fari gestiunt: cū necdū possint ad plenum uerba formare: nonne palam indicat sese tentare sermonem peregrinum, in quo parum sit exercitatus, quod etiam si non fateatur, ipsa tamen dictio præ se fert. Nec enim usq; adeo æloquētiæ suæ fuit ignarus Hieronymus, præsertim id ætatis, ut se balbutienti infantulo fuerit comparaturus. Pro nobis faciunt & illa, quæ paulo superius præcedunt, Qui uobis dudum tractatibus loqui consueueram, ut nouo loquendi genere, exhortationis gratia, &c. An hoc scripti genus nouum Hieronymo? An non scripserat in exhortatorio genere permulta, cum ad diuersos diuersa, tum ad Eustochium librū de uirginitate? Quod autē omnino genus æloquiū nouū erat Hieronymo? Si diuinare licet, suspicor esse Sophronij, quem in Catalogo scriptorum testatur fuisse uirum apprime doctum, sed græcum, Is adhuc puer conscripsit laudes Bethlehem, ac iam grandis insignem librum de subuersiōe Serapis. Multa diuini Hieronymi opuscula elegāter uertit in linguam Græcam, Librum de uirginitate ad Eustochium, Vitam Hilarionis Monachi, psalterium & prophetas, quos Hieronymus ex Hebraica ueritate uerterat Latine. Vidimus ipsi librū & de claris scriptoribus, ab eodem Græco sermone traductū, Vnde rursus latina deprauatissima correctæ sunt. Errorem autem inscriptionis hinc apparet ortum fuisse. Primū quod scribit ad Paulam & Eustochium, ad quas multa Hieronymus. Deinde quod quædam conueniunt hic, cum his quæ in Paulæ epitaphio postea scripsit Hieronymus, de uagitu pueri, de angelis canentibus: sicut admonuimus eo loco. Quasi uero non plures alij scripserint ad nobilissimas mulieres, quæadmodum aliquot locis testatur & Hieronymus, aut quasi mirum sit Sophronium scisse, quod sciuerit Hieronymus, cum apud eum ut apparet uixerit. Nec hanc usq; citat Hieronymus, nec uerissimile est illum uia Paulæ scripturum fuisse de uisione angelorum & similibus, quæ de mortua demum prodidit. Verum quid ago tot argumentis, cum stilus omnibus modis longe lateq; discrepans, abunde satis sit argumētis?

AD PAVLAM ET EVSTOCHIVM DE ASSVMPTIO
NE BEATAE MARIAE VIRGINIS SERMO.

D **C**ogitis me o Paula & Eustochium, imo charitas Christi me cōpellit: qui uobis dudum tractatibus loqui consueuerā, ut nouo loquēdi genere, sanctis quæ uobiscū degunt uirginibus, latino utens æloquio, exhortationis gratia, sermonem faciā de assumptione beatæ & gloriosæ semper uirginis Mariæ, more eorum qui declamatorie in ecclesijs solēt loqui ad populum: quod utiq; genus docendi, necdum attigerā. Sed quia negare nequeo quicquid iniungitis, nimia uestra deuictus dilectione, experiar quæ hortamini affectu infantium more balbutientium, qui quæcūq; audierint, fari gestiunt: cum necdum possint ad plenum uerba formare: maxime, quia propter simplices quasq; id me depromere cōpellitis, ut habeat sanctum collegium uestrum sermone latino, quibus se occupet laudibus eadem die, quibusue diuinis uacet lectionibus: præsertim cum & eadem in multis festiuitatibus, multorum sanctorum patrū studia, miro cuderint æloquio, quæ de hac quidem uberius ubiq; in scripturis diuinis prædicata leguntur. Quid enim aliud sonant euangelia, nisi dominū nascentem ex Mariā uirgine? & omnia eius incrementa quousq; fuit in mūdo dūtaxat, diuinis efferūt præconijs. Porro ab exordio sancti euangelij Gabrielem archangelum colloquentem Mariæ didicistis, & deinceps reliqua oīa plenius legistis. Ad p̄sepe quoq; o Paula te teste, nato puero inter crepundia noui partus, & querelas nescij ploratus, pro fescenninis, Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis: multitudinem angelorum cātantium audiuiisti: & radiātem stellam uidisti. Pastoribus insuper euāgelizantibus credidisti. Magos præterea tria deferētes munera, in uisione beatis oculis conspexisti: ipsa eadem munera bene intelligēdo uotis omnibus fide deo obtulisti. Nam & cum eisdem Magis deum puerū in præsepio adorasti. Sed forte cōquesta me delatorem, quod te prodiderim clamabis. Ad quod ego, Si celatum esse uolebas teste conscientia, mihi narrare ante præsepium, ubi plurimū lachrymata es, non debueras: quod ut uerum fatear, Christi præconia, etiam si uoluerō adiuratus, neq; tuas laudes omnino tacere queo. Idcirco tuæ te interrogent filia, quas lacte nutris: tu ea melius referabis, quæ nescio si per speciem aliquam, aut certe in spiritu uidisti. Vnde uos o filia, pulsate matrem præcibus, pulsate ad ostium inuitantis amici: si quo modo tandē uobis aperiātur, quæ referata sunt matri. Verūtamē de his quid plura dicam? Omnia saluatoris gesta & beatæ Mariæ obsequia:
necnon

A necnon actus uitæ ex euangelio didicistis. Et nunc quid superest, ut ab aliquo doctorū requiratis. De assumptione eiusdem tamen beatæ dei genitricis semperq; uirginis Mariæ, qualiter assumpta est, quia uestra id deposcit oratio, præsentia absens scribere uobis curauit, quæ absentia præsens deuot⁹ obtulit: ut habeat sanctū collegiū uestrū in die tātæ solēnitatis mun⁹ latini sermonis, in quo discat tenera infātia lactis experiri dulcedinē: & de exiguis eximia cogitare: qualiter fauente deo per singulos ānos tota hæc dies expendatur in laudem, & cum gaudio celebretur: ne forte si uenerit in manus uestras illud apocryphum de trāsitu eiusdem uirginis, dubia pro certis recipiatis: quod multi latinorum pietatis amore, studio legēdi charius amplectunt: præsertim cum ex his nihil aliud experiri possit pro certo, nisi quod hodierna die gloriosa migravit a corpore. Monstratur autem sepulchrū eius cernentibus nobis usq; ad præsens in uallis Iosaphat medio, quæ uallis est inter montē Siō & mōtē oliueti posita: quā & tu o Paula oculis aspexisti, ubi in eius honore fabricata est ecclesia miro lapide tabulata: in qua sepulta fuisse (ut scire potestis) ab omnibus ibidem prædicatur: sed nunc uacuum esse mausoleum cernētibus ostenditur. Hæc idcirco dixerim, quia multi nostrorum dubitant: utrum assumpta fuerit simul cum corpore, an abierit relicto corpore. Quomodo autem uel quo tempore, aut a quibus personis sanctissimū corpus eius inde ablatum fuerit, uel ubi transpositum: utrum ne resurrexerit, nescitur: quibus nonnulli astruere uelint eam iam resuscitatam, & beatam cum Christo immortalitate in celestibus uestiri. Quod & de beato Iohanne euangelista eius ministro, cui uirgini a Christo uirgo commissa est: plurimi asseuerant: quia in sepulchro eius (ut fertur) non nisi manna inuenitur: quod & scaturire cernitur. Verū tamen quid horum uerius censeatur, ambigimus. Melius tamen deo totum, cui nihil impossibile est cōmittimus, q̄ ut aliquid temere definire uelimus autoritate nostra, quod non probemus: sicuti & de his quos cum dñō (euangelio teste) resurrexisse credimus. Sed utrum redierint in puluerem terræ, certum non habemus, nisi quod legimus: Quia multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt, ac uenerunt in sanctam ciuitatē scilicet Hierusalem & apparuerunt multis. De quibus profecto nonnulli doctorū senserunt & etiam in suis reliquerunt scriptis, quod iam in illis perpetua sit completa resurrectio. Fatentur em̄ quod ueri testes nō essent, nisi & uera eorum esset resurrectio. Vnde & beatus Petrus dixisse legitur cum de Dauid loqueretur in testimonium: Et sepulchrum, inquit, eius apud nos est: quasi non sit ausus dicere, quod ipse aut corpus eius apud nos est, sed tātum sepulchrū quo conditus fuerat: hinc aiunt resurrexisse & eū cum cæteris sanctis: & ideo uacuū remansisse mausoleū, ut nūc beatæ Mariæ cernit. Qd̄ sane factū, & de alijs qbuslibet locis scripturarū affirmare conātur: quod hi iā cū Christo regnent resuscitati in æterna societate. Quod (quia deo nihil est impossibile) nec nos de beata Mariā uirgine factū abnuimus, q̄q̄ propter cautelam (salua fide) pio magis desyderio opinari oporteat, q̄ inconsulte definire quod sine periculo nescitur. Vnde de his ex quibus certi sumus tantisper loquamur ad exhortationē uestrā qualicūq; sermone, ad ædificationē & laudem nominis dei: ut & religio cōseruetur pro famulatu, & deuotio augeatur pro affectu: quoniā hæc est uirgo, quæ sola interemit uniuersam hæreticam prauitatem: sola post deum quæ nos confirmet in omni ueritate suisq; commendet meritis, & precibus auxilietur, ut & ipsi digni inueniamur in eius laudibus. Quod si quæritur post ascensionē dñi quid egerit. Vnum pro certo est, quia uirgo sancta corpore ac mente permāsit: quam sane angelus Gabriel, ac si celestis paranympus, intactā custodiuit. Et Iohannes apostolus atq; euangelista, cui Christus eam de cruce cōmisit, uirgo uirginem seruauit, suisq; ei deseruiuit obsequijs: non quod eximius ille sanctorum chorus apostolorum deseruerit eam: inter quos post resurrectionem intrans & exiens, familiariter contulit de Christi incarnatione: tanto siquidem uerius, quanto ab initio plenius per spiritum sanctum cuncta didicerat, & perspexerat oculis uniuersa: licet & apostoli per eūdem spiritum sanctum omnia cognouerint, & in omnem edocti pertenerint ueritatē. Quā sane beatam uirginem, & si omnes uenerati sunt discipuli, ei q; famulabantur affectu dilectionis, Iohānes tamen amplius ac specialius usq; in finē uitæ, qui sibi cōmissam accepit in suam, quasi matrem filius: cui benignus magister de cruce: Mulier, inquit, ecce filius tuus. Ad discipulum autem: Ecce mater tua, ut uirgo uirgini cohæreret & deseruiret

C officiosissime cura adoptionis. Non enim pudicissima uirginitas alicui discipulorum rectius quam uirgini commendatur: ut esset ad inuicem grata societas, & floridus aspectus: nec non & uenustas conuersandi uernans, alternatim pudicitiarum splendore decoratus. Vna siquidem uirtus uirginitatis in ambobus, sed altera proportio in Maria: altera quidem, quia fecundior, sed ipsa. Ipsa uero, sed altera: quia etsi ipsa eademque incorruptio, tamen fecunditas integritatis longe gloriosior quam uirginitas. Idcirco & fecunditas in illa tota deifica est & uirginitas. Alioquin nusquam secundum naturam nascendi uirginitas, ubi fecunditas predicatur: neque fecunditas, ubi uirginitas integra conseruatur. Ideoque totum superexcellit de illa quae dicuntur, quia sunt diuina atque ineffabilia. Vnde uirginitas & fecunditas proles supereminens nouitas est, quam humanum cernatur ex carne quod nascitur. Verumtamen etsi magnificentior multum uirginitas in Maria propter gratiae excellentiam: una tamen integritas carnis & una uirtus, quae ad inuicem tanquam cognata sociatur. Hinc quoque Iohannes, quicquid est quod Maria genuit euangelizando, suo commendat aeloquio. Verbum (inquit) in principio erat, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. Hoc quippe uerbum quod erat in principio, & apud deum erat, & deus erat: ipsum genuit beata & gloriosa uirgo Maria ex se carnem factum. Idcirco & uirginitas longe sacratiores & fecunditas (ut ita dicam) multo ineffabilior: quam suo potuerit ille explicare aeloquio. Verumtamen quanto uirginitas cognatio uirginitati: tanto beatus euangelista ceteris excellentior & uicinior uerbo. Ideo quicquid est quod uirgo genuit: totum prout potuit homo per spiritum sanctum nobis reserauit manifestius & docuit. Ceterum ad exemplum humanae uitae, conuersatio eius post ascensionem Christi generaliter cum apostolis fuit quousque disperguntur: sicut Lucas meminit dicens: Quod regressi quidem a monte oliueti, Hierosolymam uenerunt: & ascenderunt in coenaculum ubi manebant, Petrus & Iohannes, & Iacobus, & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomeus & Matthaeus, Iacobus alphei & Simon zelotes, & Iudas iacobi. Hi omnes, inquit, erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus & Maria matre Iesu & fratribus eius. Ecce Iesu ascendente cum quibus uirgo uacat in schola uirtutum, & meditatur in lege mandatorum dei, ut & ipsa sit forma disciplinae Christi & exemplum perfectionis uirginibus. Conuersatur autem cum testibus sanctae resurrectionis & ipsa testis. Conuersatur cum senatoribus caeli intra curiam paradisi sub spiritus sancti disciplina & magisterio totius diuinae maiestatis. Inuenitur prima beata Maria inter primas summi regis cohortes: quorum uita iam non erat de terris, in quibus Christus praebatur, sed de caelis. Hinc ascendisse leguntur in coenaculum, in quo pascha dignissime celebrabat, ibi quippe manebant cum Maria matre Iesu unanimiter aspirati in charitate, perseverantes in oratione: donec induerentur uirtute ex alto. Coeperant enim iam orare qui dudum cum domino conuersantes uirtutibus & miraculis pascebantur. Et bene perseverabant in oratione nihil haesitantes, donec acciperent munera spiritus sancti quae poscebant. Quos & uos o filiae imitamini, quae in schola Christi permanere uouistis, perseverate in orationibus unanimiter uiuentes, donec intrare possitis gaudia aeternae uitae, quo beata uirgo feliciter hodie introiuit, alternantibus hymnidicis angelorum choris intra pascha aeternae uiriditatis: ubi una societas ciuium supernorum, ubi dulcis solenitas angelorum, ubi post labores & erumnas felix & suauis refectio animarum. Hodie gloriosa namque semper uirgo Maria caelos ascendit: rogo gaudete: quia (ut ita fatear) ineffabiliter sublimata cum Christo regnat in aeternum. Regina mundi hodie de terris & de praesenti saeculo nequa eripitur: iterum dico gaudete, quia secunda sua immarcescibili gloria ad caeli iam peruenit palatium. Exultate inquam & gaudete, & laetetur omnis orbis, quia hodie nobis omnibus eius interuenientibus meritis salus aucta est. Vobis quoque diligentibus eam, honor & uirtus una cum reliquis sacris uirginibus amplior praestatur & gratia. Idcirco dilectissimae letamini & laudate, quia si deum ore prophetico in sanctis suis laudare iubemur: multo magis eum in hac celebritate beatae Mariae uirginis matris eius oportet cum hymnis & canticis diligentius extollere: & dignis deo iubilare praconijs ac mysticis honorare muneribus. Nulli enim dubium quin totum ad gloriam laudis eius pertineat, quicquid digne genitrici suae impensum fuerit, atque soleniter attributum. Ex quo timeo satis & ualde pertimesco dum uestris cupio parere profectibus, ne forte sicut improbus, ita & indignus laudator inueniat.

Profecto

- A** Profecto cum nec sanctitas uel facundia suppeditet: ut beatam & gloriosam uirginem Mariā digne laudare queam: quoniā (ut uerū fatear) quicquid humanis dici potest uerbis, minus est a laude coeli: quia diuinis est & angelicis excellentius prædicata & laudata præconijs. A prophetis quidem prænunciata, a patriarchis figuris & ænigmatibus præsignata: ab euangelistis exhibitā & monstrata, ab angelo uenerabiliter atq; officiosissime salutata. Præterea qualis & quanta esset: ab eodem diuinitus declaratur cum dicitur: Aue gratia plena, dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Talibus nāq; decebat uirginē oppignerari muneribus: ut esset gratia plena, quæ dedit coelis gloriam: terris dominū, pacemq; refudit, fidem gentibus, finem uitij, uitæ ordinem, moribus disciplinam. Et bene angelus ad uirginem Mariam mittitur: quia semper est angelis cognata uirginitas. Profecto in carne, præter carnem uiuere: non terrena uita est, sed celestis. Vnde in carne angelicam uitam acquirere, maius est meritum q̄ habere. Esse em̄ angelū, felicitatis est: esse uero uirginē, uirtutis: dū hoc obtinere uiribus uirgo nititur cū gratia, quod habet angelus ex natura. Vtrūq; tamen & esse uirginem & angelum, diuini muneris est officiū non humani. Aue (inquit) gratia plena: & bene plena, quia cæteris per partes præstatur: Mariæ uero simul se tota infudit plenitudo gratiæ. Hoc quippe est quod Dauid canit: Descendet sicut pluuia in uellus. Vellus itaq; cum sit de corpore, nescit corporis passionē. Sic & uirginitas cū sit in carne, nescit uitia carnis. Cœlestis plane imber in uirginē uellus, placido se infudit illapsu: & tota diuinitatis unda se contulit in carnē, quādo uerbū caro factum est: ac deinde per crucis patibulum expressum, terris omnibus salutis pluuiam effudit, & stillicidia gratiæ, humanis præstitit mentibus. Dñs (inquit) tecum. Mira res & iam cum uirgine erat, qui ad uirginem mittebat angelum: & præcessit nuncium suum deus, sed a deo non recessit: nec teneri potuit locis: qui omnibus habetur in locis: & totus ubiq; est, sine quo nihil totum. Ergo uerbū patris nūq; a patre discedens, homo p nobis fieri dignatus est, secreto suo mysterio quod ipse nouit: qui quoniam totum suscepit quod est hominis, homo totus est: & totum retinens quod dei est, omnino aliud q̄ deus (qui natus est ex Maria) esse non potuit. Scit em̄ deus omnia & potest. Propterea quia ita est, sciuit se ac potuit in utero uirginis sine sui corruptiōe miscere atq; unire, ut unus esset Christus deus & homo, una persona, unaq; substantia. Ob quod dei genitrix electa & præelecta iure ab angelo salutatur, & prædicatur gratia plena. Vere plena per quā largo sancti spiritus imbre superfusa est omnis creatura. Et ideo satis eam deuotissime primum angelus ueneratur & salutatur. Miratur itaq; & ipse qualis aut quanta sit quam salutatur: non em̄ simplex fateor uel consueta fuit ista salutatio, sed omni admiratione digna. Siquidem uenerationis fuit delatio, oblatio muneris, famulatus obsequij. Quia etsi in sanctis patribus & prophetis gratia fuisse creditur: non tamen eatenus plena. In Mariā uero totius gratiæ quæ in Christo est plenitudo uenit q̄q; aliter. Et ideo (inquit) benedicta tu in mulieribus, id est, plus benedicta q̄ omnes mulieres. Ac per hoc quicquid maledictionis infusum est per Euam, totum abstulit benedictio Mariæ. Insuper gratiam refudit Christi ortus, quam non habuit prius omnis mundus. Igitur quod natura non habuit, usus nesciuit, ignorauit ratio, mens non capit humana, pauet cœlum, stupet terra, creatura omnis etiam cœlestis miratur: hoc totum est quod per Gabrielem Mariæ diuinitus nunciatur, & per Christum adimpletur. Qua de causa de tali tantaq; loqui, me indignum fateor: sed & puto quod nemo sit qui præsumat, nisi qui quāta sint quæ panduntur penitus ignorat. Tamē etsi ad hæc nemo idoneus inuenitur, uotis omnibus cessare non debet etiā q̄libet peccator a laudibus, q̄uis explere nō queat quod sentit. Vnde sermo diuinus cū de peccatore ageret in psalmis: Sacrificiū (inqt) laudis honorificabit me: p̄tinus addidit, & illic iter est quo ostendam illi salutare dei: ac si patēter dicat: Illic iter est laudis ad æternā laudē sine fine māsura, sed nemo apphendet illud, nisi ego p̄mōstrauero. Propterea charissimæ, quia iter salutis nostræ in laudibus est saluatoris: hortor uos & cōmoneo in hac sacra solēnitate genitricis dei Mariæ, nolite cessare a laudibus. Quod si uirgo es: gaude, quia meruisti esse & tu quod laudas: tantū cura ut sis, quæ digne laudare possis. Quod si cōtinēs & casta es, uenerare & lauda, q̄a nō aliunde constat, ut possis esse casta q̄ ex gratia Christi, quæ fuit plenissime in Maria quā laudas. Quod si coniugata certe aut peccatrix, nihilominus confitere & lauda, quoniam inde misere

C ricordia omnibus profluxit & gratia ut laudent. Et quous nō sit speciosa laus in ore peccatoris: noli cessare a laude, quia inde tibi promittit uenia unde & oibus, ut laudes. Alioquin nisi iuxta modulū ingenij nostri deū laudare in sanctis suis studeam⁹: quomodo eū secundū quod canimus: iuxta multitudinē magnitudinis eius, laudare poterimus? Omnino quippe pratermittendum non est quod impleturi sumus quandoq; secundum quod dicitur: Beati qui habitant in domo tua domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Interdum uero, quia immensus est, qd' uoce nō possumus, nec facundia ualemus, exequamur uotis & medullis cordis: quia magn⁹ & bonus est atq; immensus, tantus ac talis, quantū ac qualē ipse se nouit, ore ac spiritu confiteamur ad iusticiam & salutem. Hinc rogo omnes pariter festiuitatem gloriosæ semper uirginis Mariæ deuotissime celebremus: quia hæc est dies præclara, in qua meruit exaltari super choros angelorum: & peruenire ultra q̃ nostræ humanitatis est natura. Vbi non substantia tollitur, sed gloriæ magnitudo monstratur, cum eleuatur in dexteram patris, ubi Christus pro nobis introiuit pontifex factus in æternum ad cœli palatium. Hæc est inquam dies, in qua usq; ad throni celsitudinē intemerata mater & uirgo processit, atq; in regni solio sublimata, post Christum gloriosa resedit. Sic itaq; ubiq; cōfidenter sancta dei canit ecclesia, quod de nullo alio sanctorū fas est credere, ut ultra angelorū & archangelorū dignitatē merito trāscenderit: quia & si similitudo repromittit sanctis, ueritas tamen negatur. Hoc quippe priuilegiū non naturæ est, sed gratiæ beatæ uirginis Mariæ: de qua natus est ipse deus & homo. Idcirco & ipsa plus est meritis, & non natura q̃ uirgo & homo. Vnde & si cæteræ uirgines imitantur illam usq; ad contemptum partus, & Gabrielis nouæ salutationis obsequium, deinceps totum diuinū est, quod operatum est in ea, teste angelo: Quia spiritus sanctus & uirtus altissimi obumbrabit te. Ante hoc ipsum sane uterus uirginis, q̃ uis mundus, q̃ uis impollutus & alienus a contagione peccati, q̃ uis sanctus: tamen adhuc uilitate humanitatis induitur: ut ita dicam, ac si lana candidissima, suoq; colore dealbata: ad quam sane cum accessisset spiritus sanctus, quasi ipsa eademq; lana cum inficitur sanguine conchiliij uel muricis uertitur in purpuram: uersa est & ipsa sine coitu in matrem: ut non sit iam amodo quod fuerat, sed purpura uerissima ad indumentum & gloriam summi regis diuinitus aptissime dedicata: ut nulli deinceps ea uti usu scemineo licuerit nisi deo. Quippe (ut ita loquar) beata & gloriosa uirgo Maria eo modo, q̃ uis dudum incomparabilis esset uniuerfis, quæ sub cœlo sunt uirginibus, ut decenter posset in se suscipere diuinitatis admixtionem, salua utraq; natura: tamen cum gratia repletur, cum spiritu sancto perfunditur, cum uirtute altissimi obumbratur: fit præciosior meritis, celsis sublimior fastigijs, pulchrior sanctitate, gloriosior suorum prærogatiuis meritorum: ita ut nullis iam usibus sit ipsa eademq; mancipanda nisi diuinis. Vnde o sanctissimæ uirgines, etsi imitari oportet tãtam ac talem uirginem, tãq; præclaram uenerari: multum tamen conuenit, & ultra angelicam quodammodo dignitatem, quantum fas est, cum gaudio laudibus eam dignissimis efferre: quæ (ut diximus) non temere per Christi gratiam super choros angelorum exaltata deuotissime hodie prædicatur: quia præcessit eam dñs & saluator noster ex ea uera fide genitus ad cœlestia: ut pararet ei sicut ipse suis repromisit discipulis in æthereis mansionibus locum. Hinc quoq; Dauid propheta olim gratulabundus Christo canit: A summo, inquit, cœlo egressio eius: & occursum eius usq; ad summum eius. Ascendit ergo eandem gloriam resumpturus, licet non amiserit quam prius habuerat ante q̃ mundus fieret. Ascendit & preparauit huic sanctissimæ & gloriosissimæ uirgini locum immortalitatis, ut cum eo regnare posset in perpetuum. Et hæc est huius præsentis diei festiuitas, in qua gloriosa & felix ad æthereum peruenit thalamum. Quæ profecto festiuitas, sicuti beata Maria incomparabilis est uirginibus cæteris, ita incomparabilis est omnium sanctorum festiuitatibus: & admiranda est etiam angelicis uirtutibus. Propter quod ex persona supernorum ciuium in eius ascensione admirans spiritus sanctus, ait in Canticis: Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut uirgula fumi ex aromatibus. Et bene quasi uirgula fumi, quia gracilis & delicata, quia diuinis extenuata disciplinis, & concremata intus in holocaustum incendio pij amoris, & desyderio charitatis. Vt uirgula, inquit, fumi ex aromatibus: nimirum quia multis repleta est uirtutum odoribus; manans ex ea fragrabat suauissimus odor etiā spiritibus angelicis

A angelicis. Ascendebat autem dei genitrix de deserto praesentis saeculi, uirga de radice Iesse olim exorta: sed mirabantur electorum animae praegaudio, quae nā esset quae etiam meritum uirtutibus angelorum uinceret dignitate. De qua rursus idem spiritus sanctus in eisdem Canticis: Quae est ista quae ascendit, inquit, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. Admiratur autem spiritus sanctus, quia omnes de ascensu huius uirginis admirantes facit, quod quasi noui diluculi aurora rutilans, ascensu suo resplendeat, multis freta & uallata sanctorum agminibus. Vnde dicitur terribilis, ut castrorum acies ordinata. Si quē terribilis suis facta uirtutibus, ut castrorum acies admodum ordinata: hincinde angelorum sanctorum fulta praesidijs: pulchra ut luna, imo pulchrior quā luna, quia iam sine defectu sui coruscat coelestibus illustrata fulgoribus. Electa ut sol, fulgore uirtutum, quia ipse elegit eam sol iusticiae, ut nasceretur ex ea. Ad cuius profecto exequias (quantum fas est credere) famulabantur angeli, & uniuersae coelorum congratulabantur curiae. Nec mirum, quia honor maternus eius est, qui est natus ex ea: quem omnis coelorum ordo ueneratur & adorat super se eleuatum cum patre in sede maiestatis domini. Legimus enim quod saepe ad funera, & ad sepulturas quorumlibet sanctorum angelos aduenisse, & exequijs eorum obsequia praestitisse: nec non & animas electorum usque ad coelos cum hymnis & laudibus detulisse: ubi & utriusque sexus chori commemoratur frequenter auditi laudesque cecinisse: interea & quod perspicatius est, multo nonnumquam lumine eisdem resplenduisse: insuper & adhuc uiuentes in carne, ibidem miri odoris fragrantiam diutius persensisse. Quod si ad recreandam spem dilectissimae filiae, & corroborandam fidem interdum astantium, saluator noster Iesus Christus ob merita suorum amplius comprobanda: talia & tanta dignatus est exhibere per suos coeli ministros circa defunctos: quantomagis credendum est hodierna die militiam coelorum cum suis agminibus festiue obuiam uenisse genitrici dei, eamque ingenti lumine circumfulsisse, & usque ad thronum olim sibi etiam ante mundi constitutionem paratum, cum laudibus & canticis spiritalibus perduxisse. Nulli dubium, omnem illam coelestem Hierusalem, tunc exultasse ineffabili laetitia, tunc iocundatam esse inestimabili charitate, tuncque cum omni gratulatione iubilasse: quoniam festiuitas haec quae nobis hodie reuoluitur annua, illis omnibus facta est continua. Nec immerito: Creditur enim quod saluator omnium ipse, quantum datur intelligi, per se totus festiuius occurrit, & cum gaudio eam secum in throno collocauit. Alias autem quomodo impleuisse creditur quod in lege ipse praecepit: Honora patrem tuum & matrem tuam. Porro quod patrem honorauerit, ipse sibi testis est cum ad Iudaeos ait: Ego gloriam meam non quero: est qui quaerat & iudicet, sed ego honorifico patrem meum, & uos inhonorastis me. De matre uero euangelista cum rediret: ueniens, ait, Naçareth erat subditus illis. Sed alia est natura qua deus pater secundum se honoratur: alia qua idem parentibus subditur. In utraque tamen unus idemque Christus recte creditur: eo quod uerbum caro factum est, & habitauit in nobis, unus Emanuel, quod est nobiscum deus. Hanc quippe unionem diuinitatis atque humanitatis inconfusam atque indiuisam fides catholica seruat: quam sane intelligendo cognoscit naturalis, atque secundum substantiam conuentio unitatis, ut neque conuersio in alterutram duarum substantiarum partem recipiatur nec diuisio. Sic namque credere, honorare est matrem domini: quae & deum nobis genuit & hominem: neque hominem sine deo, neque sine homine deum, sed deum & hominem unum & uerum Iesum Christum. Alioquin dei genitrix dici non posset, quod multi haereticorum negare conati sunt, nisi deum uere genuisset incarnatum: & propterea duas in Christo recte confitemur natiuitates. Vnam uidelicet de patre sine initio, & sine tempore sempiternam & coeternam deo patri. Alteram de matre cum tempore, quando miserationem induens & misericordiam, spontanea uoluntate ad nos descendit homo natus deus: ac per hoc iuxta ueritatem & matris gestatur utero qui semper deus agnoscitur. Hinc etiam Theotocon eam ueraciter confitemur, dei scilicet genitricem: nec non & Christotocon: non quod uerbum carnem secum detulerit, neque olim praefatae carni copulatum sit: sed tunc quando uerbum caro factum est ex carne uirginis: diuinitatis atque humanitatis substantia in utero ita inconfuse unitur: ut una persona sit deus & homo Christus. Ex duabus siquidem naturis sine confusione alterius, non nisi unus inuenitur Iesus dominus:

- C** manens deus in forma dei, qui semetipsum exinaniuit formam serui accipiens: manens unus idemq; in forma serui quam suscepit: totus quippe deus in carne uirginis de qua natus est & totus homo. Hinc quoq; Apostolus: In quo habitat (inqt) ois plenitudo diuinitatis corporaliter. Quapropter o filia: estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae: ut ex prudentia perfectae intelligentiae, anulum fidei uestrae, & margaritam pro qua omnia reliquistis, integram inuiolatamq; seruetis: ne dotem simul & arram spiritus sancti (quod absit) perdati. Diligentius itaq; procurate, si quo modo simplicitas columbae quae fuit in Maria, illaesa inuiolataq; in uobis custodiatur. De qua Solomon in Canticis quasi in laudem eius: Veni (inquit) columba mea: immaculata mea: iam enim hyems transijt, imber abiit & recessit. Ac deinde inquit: Veni de libano, ueni coronaberis. Non immerito igitur uenire de libano iubetur, quia libanus candidatio interpretatur. Erat enim candidata multis meritorum uirtutibus, & dealbata niue candidior spiritus sancti muneribus, simplicitatem columbae in omnibus representans: quoniam quicquid in ea gestum est, totum puritas & simplicitas, totum ueritas & gratia fuit, totum misericordia & iusticia, quae de caelo prospexit: & ideo immaculata, quia in nullo corrupta. Circūdedit enim uirum in utero, sicut Hieremias sanctus testatur, & non aliunde accepit. Faciet (inquit) dominus nouum super terram & mulier circūdabit uirum. Vere nouum & omnium nouitatum supereminens nouitas uirtutum, quando deus (quem ferre non potest mundus, neq; uidere aliquis ut uiuere possit) sic ingressus est hospitium uentris, ut corporis claustrum nesciret: sicq; gestatus, ut totus deus in eo esset: & sic exiuit inde, ut esset (sicut Ezechiel fatef) porta omnino clausa. Vnde canit in eisdem canticis de ea: Hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuae paradisus. Vere hortus deliciarum, in quo consita sunt uniuersa florum genera & odora menta uirtutum: sicq; conclusus, ut ne sciat uiolari; neq; corrumpi ullis insidiarum fraudibus. Fons itaq; signatus sigillo totius trinitatis: ex quo fons uitae manat, in cuius lumine omnes uidebimus lumen. Quia (iuxta Iohannem) ipse est qui illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Cuius profecto emissio uteri, supernorum ciuium omnium est paradisus. De isto namq; uentris agro patriarcha Isaac longe odorans, aiebat dicēs: Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit dominus: quis putent parum intelligentes, quod priores sancti minus de Christo intellexerint mysterium incarnationis, cum & ipsi eadem saluati sint gratia. Vnde constat tempus non praedicasse sacramentum uniti hominis ac dei: ita ut iam esset in illo per unitatem personae ab initio saeculi, qui nondum erat natus de Maria uirgine: quod multis scripturarum declaratur indicijis. Vnde dominus ad Iudaeos: Antequam Abraham fieret, inquit, ego sum. Quibus utiq; uerbis ostendit se quod loquebatur, in eo semper fuisse mysterio unitatis. Quam ut commendaret, Antequam Abraham fieret, inquit, ego sum. Nam Abraham antequam fieret, humanitatis est breuitas. Ego autem sum, aeternitas naturae declaratur: in qua nimirum aeternitate iam se fuisse qui loquebatur, per sacramentum suae incarnationis insinuat. Quod Apostolus Iudas uolens apertius dilucidare: Iesus, inquit, populum ex Aegypto saluans: secundo eos qui non crediderunt perdidit. Et alibi Paulus: Neque tentemus Christum sicut quidam eorum tentauerunt: non quod iam esset Iesus aut Christus natus ex Maria: sed quia in illo unico filio dei iam unitas personae commendabatur, quae occulta erat in mysterio. Quod & alibi euidenter Paulus: Qui elegit nos, inquit, ante mundi constitutionem in ipso: quia profecto quicquid deus fecit ab initio, Christus fecit totum per unitatem sacramenti. Et ideo iam Iesus erat in filio, qui populum educebat, & Christus in eo qui tentabatur: quoniam semper per sacramenti unitatem in deo fuisse non dubitat. Alioquin nisi ita credideris, aut Christus deus non erit omnino, aut contra prophetam deus recens esse uidebit. Sed ne talibus quatiatur calumnijs, scrutandae sunt scripturae, in quibus unitas in Christo commendatur personae, quoniam non praedicit tempus ne unus semper dicatur. Hinc quoq; beatus Petrus loquens de patribus, ait: Per gratiam domini nostri Iesu Christi credimus saluari quemadmodum & illi. Namque illos dominus solus educebat: & non erat cum eis deus alienus: unde nec nobiscum deus recens: quia unus idemq; est, qui & eorum ductor fuit, & noster per passionem carnis suae redemptor: unus siquidem sua in carne, unus in sacramento, atq; unus in spiritu: nec admittit ratio, ut alius filius hominis, alius filius dei intelligatur. Qui nec tempore praescribitur, nec passione separatur, sed totus deus in Christum, & Christus in deum transijt: ut quicquid dei

- A** dei filius est, Christus dicatur: & quicquid in carne Christus pertulit, id deus pertulisse recte credatur: alioquin si ad rationem respicias & ad sensus humanos, nequaquam ita haecenus potuerunt inter se conuenire deitas & humana conditio: conuenerunt tamen in Christo, & unus est ex ambobus emanuel. Vnde mihi uidetur quod altitudinem tanti mysterij diligenter intelligere & uidere non potuerunt, qui aut duos filios certe, aut aliud Christum quam dei filium existimauere. Qua propter nec nos hominem seorsum colimus, quod nefas est, nec adoramus: sed deum magis incarnatum, qui proprium sibi corpus animatum uniuert, ita ut deus uerbum caro fieret: & non in alium quolibet, sed in semetipsum caderet unitas quae unus & uerus dei filius semper erat. Idcirco non alium quam eundem, ipsumque dei filium & colimus & adoramus. Qui nihil ipse pro assumpto homine est auctus, nihilque quod uerbum caro factum est imminutus, uel immutatus est: & ideo unus idemque semper cum deo patre filius adoratur, non nouus, non recens ex tempore, non alienus a natura uel genere. Quod si tibi nouum uidetur quod pro te hominem assumpsit: noueris quod hoc semper cum eo & in eius consilio fuit ut sic fieret: & nunc quando plenitudo temporis uenit: id factum est quod in Christo semper factum fuit. Talibus quippe priores sancti diuinitus afficiebantur odoramentis: talibus inspirabantur de Christo praesagijs, quod nasciturus esset in mundo, in quo esset omnium salus & benedictio aeternae hereditatis. Ista siquidem sunt fidei uestes: istae quibus priores sancti uestiebantur: istae quas Rebecca, imo spiritus sanctus secum domi habuit, quibus induit Iacob filium suum. Alias autem nisi a spiritu sancto seruata domi & prolata essent, quid miri odoris in eisdem pater Isaac hauriret: ita ut diceret, cum praesensisset uestimentorum fragrantiam: Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit dominus. Sed forte dicturus est aliquis: Quid ad Rebecca spiritus sanctus pertinet, cum multis in locis persona pro deo figurate accipiat? Verumtamen & spiritus in hebraeo רוח ruha foeminino genere dicitur: non quod sexus in deo monstretur, imo ne forte suspicetur, sub regula trium linguarum spiritus sanctus diuerse accipitur: in hebraeo scilicet, ut dixi foeminino genere legitur, in graeco uero ne sexus in eo credatur πνευμα neutro inuenitur: & in latino masculinum esse decernitur. Qui nimirum spiritus sanctus bene per Rebecca intelligitur: & ideo totum est in mysterio quod geritur: ut per uestimentorum fragrantiam Christus annuncietur: quem nos omnes quicumque baptizati sumus induimur, in quo benedixit nos non qualicumque: sed omni (ut ait Apostolus) benedictione spiritali in coelestibus. Vnde & angelus Mariae loquens, a benedictione exorsus ait: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus uentris tui. Cuius profecto in spiritu longe odorem trahens pater Isaac benedicebat filium, in quo coelestis omnis benedictio mundo effloruit. Et bene ab eo plenus ager dicitur, quia plena gratia uirtutum uirgo Maria pronuntiatur: de cuius utero credentibus fructus uitae effulsit. Et nos (inquit euangelista) omnes de plenitudine eius accepimus gratiam pro gratia. Quapropter obsecro uos o filiae, talem ac tantam gratiam ne in uacuum recipiatis, quae est in Christo Iesu, in quo est deus & homo, sic unitus in una eademque persona, ut legatur quod saepe in scripturis diuinis homo deo coaeternus propter unionem substantiae: ac deinde deus homini uideatur compassus, cum nec ininitialis sit homo, nec passibilis deus: tamen sic unitus est deus suo corpori, ut nullam patiatur fieri inter deum & hominem humana operatione distantia: ne forte (quod absit) alius filius dei, & alius filius hominis credatur: praesertim quia scriptura diuina sic connectit & incorporat deum & hominem: ut nec in tempore hominem admodum quis a deo, nec in passione possit ab homine deum discernere. Vnde si ad tempus respicias, inuenies quidem pro certo semper filium hominis cum filio dei. Si ad passionem, inuenies semper cum filio hominis eundem dei filium ita unitum & indiuiduum, quantum ad uocem scripturae pertinet: ut nec homo separari a deo tempore, nec ab homine deus ualeat passione. Siquidem (ut haec apertius intelligatis) ipsius Christi uerba discutite: Nemo ascendit, inquit, in coelum: nisi qui descendit de coelo filius hominis qui est in coelo. Quis queso est qui loquitur? Christus utique. Vbi rogo tunc erat, quando haec loquebatur? In terra scilicet. Et quomodo se de coelo antequam nasceretur descendisse testatur? Etiam & cum loquitur in coelo se esse fatetur, eundemque se filium hominis dicit: cum utique de coelo, nisi deus descendere non potuerit: & cum in terris loquitur, non nisi unus idemque Christus fuit. Et haec est mira & admirabilis nouitas, imo omnium nouita-

- C**um supereminens nouitas unitatis. Quam nisi diligenter prudens uirgo ab exordio sancti euangelij animaduertas, magis errare in omni scriptura uideberis diuina quā intelligere ueritatem. Constat igitur unum eundemque Christum secundum utraque formas operatum, humanitatis scilicet ac diuinitatis, ac per hoc duas exercuisse operationes. Operata est enim utraque forma uel natura cum alterius comunione quod propriū habuit: uerbo siquidē operante quod uerbi est: & carne exequente quæ carnis erant: comunicante ei siquidem uerbo in eadem operatione: dum & idem deus atque homo in una substantia uel persona, sine diuisione aut comixtione creditur, & præcognita una idēitas prædicatur. Verūtamen deus uerbum est & non caro, quā quæ carnem rationabiliter animatam assumpserit: Hancque sibi unione naturali & secundum substantiam cōiunxit. Similiter & caro est animata, & non uerbum, licet uerbi dei caro cōspecta sit ac uisa. Vnde & Iohānes: Quod fuit ab initio, & quod audiuius, inquit, & uidimus & perspeximus, & manus nostræ tractauerunt de uerbo uitæ: cum profecto nemo deum uerum uidere aut tractare possit manibus, nisi per sacramentum sibi uniti hominis. Quæ nimirū unio tam mira est, ut discerni nequeat. Alioquin quod fuit ab initio uerbum: quomodo recte dicitur hoc totum esse quod apostoli audierant, quod uiderant, quod manibus tractarant: nisi quia Christus unus idēque erat? Ac per hoc quod audierant, quod uiderant, quod tractarant, uerbum uitæ erat: & nihil aliud ex duabus naturis quā unum iuxta subsistentiā uel personam. Hinc est quod unus idemque manens filius unigenitus, indisseparatus in utrisque naturis cōspicitur, & quæ sunt utriusque substantiæ, naturaliter operabatur, secundum unicuique uel insitā essentialē qualitatem, uel naturalem proprietatem: quæ si naturam haberet singularem & inconiunctam, non ageret utique. Nunc autē Emanuel dum unus est: & in eo ipso utraque, id est deus & homo, quæ utriusque naturæ sunt ueraciter gessit, secundum aliud & aliud quæ gesta sunt operans. Ergo secundum quod deus, ipse idem egit quæ diuina sunt: secundum quod homo, idem ipse quæ humana sunt, seipsum uolens ostendere quod deus idem ipse & homo sit. Et ideo idem ipse tam quæ diuina sunt agit quā quæ humana similiter: & non alius quidem miracula operatus est, alius perpetravit humana, passionemque sustinuit: sed unus idemque Christus filius dei atque hominis filius, qui & diuina gessit & humana: siquidē inseparabiliter atque indiuisē cōmunes Christi habuit actiones. Sed intelligendæ sunt ipsorum operum qualitates: contemplandūque semper ad quæ prouehatur humilitas carnis, & ad quæ indinetur altitudo diuinitatis: ita ut per omnē textum sancti euangelij uideatur nihil caro sine uerbo agere, neque uerbum sine carne quicquid efficere. Vnde quod concipit & parit uirgo, sicut non sine potentia uerbi est, ita non sine ueritate carnis quod nascitur, quod pannorum fascijs iacet inuolutū, & in præsepio reclinatur. Porro quod stella duce a magis adoratur, sicut deitatis est: ita & humanitatis, cum in Aegyptū per fugam ne capiatur adducitur. Sic itaque omnia uirtutum opera consideranda sunt, ut reddamus deo quæ dei sunt, & homini quæ sunt hominis. Quoniam sicut est unus qui Lazarum uerbo potētiae suæ uocat, ut exeat foras a monumēto: sic idem ipse unus est qui fleuit humanitatis affectu. Sic quippe cuncta oportet considerare: quatenus & plena diuinitas in Christo intelligatur homini unita, & plena humanitas in deū assumpta. Hæc idcirco dixerim tantisper de fide incarnationis Christi charissimæ: quia quod plures orientalium circueunt suis fecibus obuoluti, moneri debuistis ne suo obnubilare uos uelint obscuritatis æloquio, uel græco turbine latinā cōfundere puritatē. Sunt enim & prudentes uirgines, sunt & fatuæ. Et ideo dilectissimæ imitamini, quam amatis beatā & gloriosam uirginem, cuius hodie in terris festa colitis: de qua dicitur: Maria autem conseruabat omnia uerba hæc (quæ de Christo dicebantur scilicet) conferens in corde suo. Conferre ergo & uos in cordibus uestris charissimæ, quæ de ipso eodemque domino catholice dicuntur: ut & fidem integram seruare possitis, & matrē eius debite uenerari. Quoniam nullus honor eius est alius, nisi cum ille iure honoratur qui nasci dignatus est ex ea. Caterum rogo quæcumque estis filiæ, quæcumque matres, cogitate attentius & perpendite diligētius, quibus afficiebatur beatā & intemeratā uirgo Maria doloribus post Christi ad cœlos ascēsum, expletis omnibus quæ de ipso erant ab angelis prædicata, & a prophetis multifariæ multisque modis præsignata, diuinis declarata oraculis, uirtutibus exhibita, & quæ humanitatis sunt ostensa prælagia. Quæso
si qua

- A** si qua sunt in uobis uiscera pietatis, consyderate quo cruciabatur amore, quoue desyderio aestuabat hæc uirgo, dum reuolueret animo, cuncta quæ audierat, quæ uiderat, quæ cognouerat. Puto quod quicquid cordis est, quicquid mentis, quicquid uirtutis humanæ: si totum adhibeas, non sufficiat ut cogitare ualeas, quanto indefinenter cremabatur ardore pñ amoris, quantis mouebatur repleta spiritu sancto cœlestium secretorum incitamentis: quia etsi diligebat Christum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota uirtute: nouis tamen quotidie inflam mabatur præsentia absens desyderiorum affectibus: tanto siquidem ualidius, quanto diuinis illustrabatur intus uisitationibus: quam totā repleuerat spiritus sancti gratia, quā totam incan duerat diuinus amor: ita ut in ea nihil esset, mundanus quod uiolaret affectus, sed ardor conti nuus & ebrietas perfusi amoris. Nam & Christus ab hominibus est amandus, ex toto corde, & ex tota anima, atq; ex tota uirtute quærendus: maxime tamen ab ea ardentius, cuius & domin⁹ erat & filius. Fortassis ergo præ nimio amore, in loco quo sepultus dicitur interdū habitasse eā credimus: quatenus pñs pasceretur internus amor obtutibus. Sic nāq; locus medius est hincin/ de constitutus, ut adire posset ascensionis eius uestigia & locum sepulturæ ac resurrectionis, & omnia in quibus passus est loca inuisere: nō quod iam uiuentem quæreretur cum mortuis, sed ut suis consolaretur aspectibus. Hoc quippe habet impatiens amor, ut quæ desyderat semper inuenire se credat. Ignorat siquidem iudicium, ratione multotiens caret, modū nescit, nec aliud cogitare potest q̃ quod diligit. Amor non accipit de impossibilitate solatium, neq; ex difficul tate remediū. Quæ scilicet beata uirgo Maria, q̃uis iam in spiritu esset, tamen dum in carne ui xit, carnalibus mouebatur sensibus: & ideo q̃ sæpe locorum recreabatur uisitationibus: & quē genuerat, mētis complectebatur amplexibus. Deniq; amor Christi, desyderium pariebat: desy derium uero gliscens, quasi nouis reparabatur ardoribus, intantum ut credam nōnunq̃, quod omnia etiam & semetipsam transcenderet: quia omnino amor impatiens, quod amat non po test nō uidere. Hinc est charissimæ, quod omnes sancti omnia quæ meruerāt pro paruis duxe re, si dominū quem amauerant non uiderent: sicuti & uenerabilis beata uirgo Maria, non indi gnum pro innumeris & immensis beneficijs, reddebat interdum obsequium sanctitatis, dū be neficiorum in terris posita non poterat uidere largitorem: & ideo hodie dilectissimæ eleuatur super choros angelorum, ut possit speciem uultumq; uidere saluatoris, quē amauerat, quē cu pierat ex toto desyderio cordis. Quod si gaudiū fit in cœlo de quolibet peccatore cōuerso, mul to magis putandū pro tantæ uirginis exaltatiōe & gloria, quod exultatio fiat in supernis: cuius nimirum festiuitas, omnium supernorum ciuium est gratulatio: præsertim quia eius celebritas laus & fauor est saluatoris. Vnde credimus (ut supra dictum est) quod non hunc tantum diem solēnem ducunt pro eius honore annum, uerum etiā continuū & æternum iocunditatis & læ ticiæ ac uenerationis obsequio, cum omni colūt tripudio amoris & gaudiij. Nec immerito igit̃ omnis illa cœlestis ciuitas cōgratulatur & ueneratur matrem: cuius super se adorat filium regē: ante quem tremunt potestates & curuatur om̃e genu. De huius nimirum ad cœlos ascensiōe, multo admirantis intuitu secretorum contemplator cœlestium in Canticis: Vidi, inquit, specio sam ascendētem, quasi colūbam desuper riuos aquarum. Et uere speciosa quasi columba, quia illius speciem columbæ ac simplicitatē demonstrabat, quæ super dñm uenit & docuit Iohannē, quod hic est qui baptizat. Et bene desuper riuos aquarum, quia super aquam refectionis educa uerat eam dominus & nutriuera: ex qua multi deducti riuui, omnem irrigāt terram deliciarū & infundūt hortū uoluptatis, ex qbus quotidie lota & perfusa beata dei genitrix, ascendit hodie na die speciosa ualde & admirabilis: cuius odor inestimabilis erat nimis: & ideo ineffabilis. Ad cuius profecto fragrantiam odoris, omnis illa cœlestis Hierusalem lata decurrit: quam circūda bant flores rosarum & lilia conuallium, eo quod omnes animæ martyrio rubricatæ, eam æter næ dilectionis cōplectuntur amplexibus: & uirginitatis splendore candidatæ, ac si lilia in ualle humilitatis enutritæ, circūdant eā uenerationis gratia obsequentes. Recte igitur quoniam bea ta dei genitrix & martyr & uirgo fuit q̃uis in pace uitā finierit. Hinc quoq; qd' uere passa sit, te stat Symeon ppheta loquēs ad eā: Et tuā, inqt, ipsius animā ptrāsibit gladi⁹. Ex quo cōstat qd' supra martyre fuerit. Alij nāq; sancti etsi passi sunt p Christo in carne, tamē in anima (quia im/

mortalis

C mortalis est) pati nō potuerūt: Beata uero dei genitrix, quā in ea parte passa est, quā impassibilis habet: ideo (ut ita fatear) quia spiritaliter & caro eius passa est gladio passionis Christi, plus quā martyr fuit. Vnde constat, quia plus oībus dilexit, ppter ea & plus doluit, intan: ū ut animā eius totam pertransiret & possideret uis doloris, ad testimoniū eximiae dilectionis. Quā quia mente passa est, plus quā martyr fuit. Nimirū quod ei⁹ dilectio amplius fortis, quā mors fuit: quia mortem Christi suam fecit. Nunc autem circūdant eam flores rosarum, indefinenter eius admirantes pulchritudinem inter filias Hierusalem: in qua posuit rex thronum suum, quia concupiuit eius speciem ac decorem: Fuit enī plena charitate & dilectione: idcirco sequitur post eam purpuratorum exercitus, & candidatorū grex. Quā si diligētius aspicias, nihil uirtutis est, nihil speciositatis, nihil candoris gloriæque, quod ex ea nō resplendeat. Et ideo bene circūdant eam flores rosarum, & lilia conuallium: ut uirtutes uirtutibus fulciantur, & formositas decore castitatis augeatur. Nam omnis splendor & gloria, quanto illustratur fulgore suo sublimius, tātō apparet praestantior claritate quorumlibet subiectōrū, & eximior praedicatur. Sic & beata dei genitrix, cuius plantatio ac si rosae in Hiericho, specialius refulsit, & candor uirginitatis splendidius emicuit, cū circūdata officio charitatis, submittit illi sanctorū claritas: ut eius amplius splendor & gloria cōmendetur: quā super angelorum choros eleuata, iam beata praedicatur, & iam beatissima. Nā angelorum quāuis celsior natura sit: non tamen gratia maior, quia & ipsi gratuita gratia, ne corruerēt sunt saluati. Vnde Dauid: Verbo dñi inquit cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirt⁹ eorū. Qd si spū oris eius oīs uirt⁹ eorū subsistit: cōstat beatā & gloriosā uirginē Mariā, in quā superuenit spūs sanctus, & deus tot⁹ illapsus portat⁹ nouē mensib⁹ in utero (ut credendū est) ampliora pmeruisse uirtutū priuilegia, & pcepisse gratiā ab angelis, etiā collaudatā. Vnde & si mirabilis est eorū uirtus, & firmitas perpetuitatis: mirabilior tamen in Maria quā obumbravit uirtus altissimi: ut ultra omnē uirtutē sit angelicā, quod factū est in ea, & admirabile cunctis saeculis sacramentū. Ac per hoc etiam angelis exinde maior praestatur gratia, cum instaurātur ab ea omnia, quā uenerantur & adorāt super se Christum regem dñm natum ex eadem uirgine.

D Hinc & Maria, cunctis tanto uenerabilior, quanto gratiosior: & quanto uirtute altissimi extollitur ad sublimia, tanto clarior resultat in gloria. Plena siquidem gratia, plena deo, plena uirtutibus, nō potest non possidere plene gloriam claritatis aeternae, quā plenissime accepit, ut mater fieret saluatoris. Quā uiderūt omēs filiae Sion, & beatissimā p̄dicauerūt: ac reginae laudauerūt eam: quoniam tantam eam uiderunt, quantā nullus narrando expleuit mortalium, quāto magis deum qui talem ac tantam fecit eam, ut ipse fieret per eam. Vnde Dauid: Et homo (inquit) natus est in ea, & ipse fundauit eā altissimus. Beata igit talis ac tanta natiuitas, beata & sup̄nōrū ciuiū societas, & admirabilis charitatis eorū unanimitas: ubi nemo angelorū, nemo archangelorū, nō dico beatæ uirginis Mariæ, uerū neque alicuius sanctorū inuidet gloriā: sed totū in altero unusquisque possidet, quod gratis praestatur omnibus: ut de omnibus, & in omnibus glorificetur deus, honoretur & adoretur ab omnibus: ubi non sexus, non aetas, non dignitas generis: sed meritorum qualitas sola discernitur: ubi plurimum stella a stella differt claritate, quāuis omnes in suo sint ordine suscitādi. Quod si est alia claritas solis, & alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum: una tamen claritas est, qua illustrantur omnia. Idcirco beata dei genitrix, quā adhuc tantis in terra praedicatur laudibus, non immerito creditur hodierna die exaltata & glorificata: nec non & clarificata, quātum nouit ille qui eam elegit in sua sapientia, qua disposuit omnia. Quod si in domo patris mansiones multae sunt, credimus splendidiorē matri hodie filium praestitisse, quam sibi olim aedificauit domū, subnixā columnis septem: in qua domo nimirū parantur nuptiae ecclesiarum dei, & fœderātur terrenis cœlestia. In eo nāque utero uirginis, sponso immortalis uirginitas consecratur, ut sit totum cœleste commercium. Et ideo charissimae celebrate solēnter uirginis festum, quā cœlestem uobis uitam in terris ostendit: quoniam qui nō nubent neque nubentur, erūt sicut angeli in cœlo. Nec mirum si angelis comparatur uirginitas, quā angelorū domino, fœdere copulatur nuptiarum. Et si quaelibet uirginitas tātum erigitur, ut angelis comparetur, multo magis beata & gloriosa uirgo Maria, quā singulari cōmedatur priuilegio, & immenso ditatur mercimonio. Idcirco dilectissimae, amate quā colitis, & colite quā amatis: quia tūc eam

- A** cam uere colitis & amatis, si imitari uelitis de toto corde quam laudatis. Hæc nāq; uita uobis de cælo fluxit, quam professæ estis: supra usum naturæ hæc uita est, quam tenetis: de cælis uenit sponsus, quem sequi cum matre debetis: nec immerito uiuendi usum de cælo quæstistis, quæ uobis de cælo sponsum petistis. Ideo uestra conuersatio in cælis sit semper, quoniam uerbum dei quod amatis, non nisi in sinu patris inuenitur. Licet igitur ubiq; totus sit, & non longe ab unoquoq; nostrum, tamen non nisi casto rursus hauritur pectore. Prope est enim (inquit Moyses) in corde tuo & in ore tuo, tantum eum recto si quæsieris corde. Vnguētum exinanitum est nomē ei⁹: ppter ea adolescentulæ diligite animo, quod pro uobis effusum est. Habetis nāq; sanctæ uirgines sponsum uirginem, uirginitatis & castitatis amatorem: qui matrem uirginē ideo elegit: ut ipsa omnibus esset exemplū castitatis, in qua uelut in speculo refulget forma uirtutis. Habetis igitur in ea magisteria probitatis expressa, quid primum eligere, quid respuere, quid sequi debeatis. Prima eius uirtus est fundamentum omnium uirtutū & custos, humilitas ipsa, de qua gloriatur: Quia respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ: ecce em̄ ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Ergo primum discendi incitamentum, nobilitas est magistri: deinde merces laboris optimi, fructus beatitudinis. Quid igitur nobilius matre domini, quid splendidius ea, quā splendor elegit paternæ gloriæ? Quid castius ea quæ corpus Christi sine cōtagione corporis generauit? & tamen in ea solum humilitatem respexisse dominum profitetur, quæ custos est cæterarum uirtutum. Collocauerat em̄ in tuto stationis portu, sublimia meritorū suorum exercitia: & ideo diuinitus illustratur. Vnde dñs ait: Ad quem respiciam nisi ad humilem & quietum ac trementem sermones meos? Fecit em̄ quod promiserat, & respexit humilitatem ancillæ suæ: unde & beata iam ab omni sæculo prædicatur. Idcirco & uos o filiæ: si uere uirgines esse uultis, humilitatem sectamini: & matrem domini quæ se ancillam uocat, cordis amore imitari procurate, quæ didicit ab ipso sponso, cui uos deuouistis humilitatem, quā uos ex se docuit.
- B** Vnde ait idē: Discite a me quia mitis sum & humilis corde. Non ergo beata dei genitrix a filio suo domino nostro, didicit cælos fabricare, non angelos creare, non miracula deitatis insignia operari: sed tantum humiliari, cæteraq; uirtutum documenta, intra humilitatis custodiam aggregare. Vnde cum ea semper singularum uirtutum pudicitia comes irremota māsset: quia omnino pudor indiuiduus uirginitati esse debet, sine quo recte castitas uera seruari non potest. Nunquam igitur beata uirgo Maria sine pudoris sui custode processit. Et ideo si placet uobis charissimæ, talis ac tanta uirgo, placeat & opus uirtutis: cuius uita omnium est disciplina, cuius mores instituta sunt ecclesiarum, quæ præcellit cunctos, supereminet uniuersis. Propterea quæcunq; uirgo sibi ab ea optat præmium & implorat auxilium, debet imitari exemplū. Rogo uos o uirgines, rogo & uiduæ, imitamini Paulam uiduam matrem, exemplar continentiae & castitatis. Imitamini Eustochium quam habetis uobiscum uirginem & formam perfectæ integritatis. Quod si minus in eis est, q̄ in matre domini, imo quia est: habetis prole fecundam & uirginē perpetuam: quia sicut in comparatione dei, nemo bonus: ita & in comparatione matris domini nulla inuenitur perfecta, q̄ uis uirtutibus eximjs cōprobetur. Vnus est pater noster qui in cælis est, unus & magister, una est forma uirginitatis in Maria, cui uos omnes ut imaginem reformatis integritatis, faciem imprimere debetis in sculpturam spiritus sancti. Quoniam hæc est hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum uiuentium, ad quam nulli potuerunt doli irumpere: nec præualuit fraus inimici, sed permanfit sancta mente & corpore, multis donorum priuilegijs sublimata. Idcirco hæc imitamini moribus, sequimini castitate, huius implorate auxilium. Qd' si me, quia ita loquor, p̄sumptiōis uelit arguere inuidorū aliquis, quod uobis scripserim: arguat charitatem atq; dilectionem, quia rogantibus uobis ne hoc quidem inexpertus iudicauim negandum. Malui em̄ excipere ruborem pudoris, q̄ non exequi iussionem uestrā, quarum præcibus nōnunq; deus noster obedire uidetur: præsertim cum habeatis uobiscum, quas imitari uirtutis est, cū quibus discere potestis: affectum a me potius q̄ magisterium ad laudē huius diei requisistis. Vnde excusare non debui propter obseruantiam grauitatis, ne impartirē deuotioni uestræ, quæ mandastis. Quod si docere nequiui, saltem ad laudem tantæ uirginis exhortari omnino curauim: quatenus non deessem uobis quem diligitis in die tantæ festiuitatis.

- C sed iungeret precibus, iungeret uotis, si quo modo mēte ad ea uobiscum eleuari mercar uestris suffragatibus meritis: ad quæ peruenit beata & intemerata uirgo Maria. Ecce hodierna die ad illum preclarum & splendidum thronum angelorum, ipsa per humilitatem & per integritatem carnis ascendit: unde intemperātia olim eximios archangelorum & superbia deiecit. Quapropter gaudete, gaudete inquā: quia uobis uia patefacta est cœlorū. Quāuis em̄ nobis eadem promittantur: uobis tamen iam præsto sunt, quæ cum angelis incorruptionem seruat. Quæ licet de hoc mūdo sitis, tamē fauente deo, iam in hoc mūdo nō estis: quia etsi sæculū uos habere meruit, tenere omnino non potuit. Beata itaq; Maria hodie iam ab omnibus gentibus longe lateq; prædicatur: & uobis quæ secutæ estis exemplum tantæ uirginis, beatitudo condonatur cœlestis. Quas non illecebræ sollicitant corporis, nō colluuiō p̄cipitat uoluptatis, non æstus inflammat incentiuæ carnis, imo angelica imitatio delectat in terris: quorum in futuro æqualitas re-promittitur in cœlis. Beatæ igitur estis filiæ, sed & beatæ uiduæ quæ celibem in Christo uobiscū ducunt uitam: quia secundum Apostolum liberatæ a lege uiri sic permanserūt. Beatior, inquit, erit si sic permāserit secundum meum consilium. Puto enim, ait, quod & ego spiritū dei habeo: euidenter uolens exprimere, quid intersit inter eam, quæ adhuc est iuncta lege uiro, & inter eā, quæ iam soluta uinculo beatior prædicatur. Quod si utraq; beata, quia in Christo, beatior tamē quæcunq; iam soluta est uinculo & cœlestia sectatur. Ideo uiduæ semper uirginibus bene copulantur: ut ait Apostolus: Mulier innupta & uirgo, cogitat quæ sunt domini: ut sit sancta corpore & spiritu: quodammodo em̄ magisterium uirginitatis, uiduarum gliscit & confortatur exemplis: quæ cum uiris castum seruauerint connubium: docent integritatem magis uirginibus deo seruandam: & quod propemodum nō inferioris uirtutis est a coniugio abstinere, quod aliquādo delectauerit, q̄p̄ coniugij delectamenta nescire. In utroq; siquidem gradu fortitudo laudat, & cœlestis uitæ prædicatur uirtus. Idcirco cognationem iam cum Christo uterq; ordo sortitur. Vnde dominus: Si quis, inquit, fecerit uolūtatem patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, soror & mater est: ubi non sexus, non ætas, non conditio discernitur, sed qui fecerit, inquit, uoluntatem patris mei qui in cœlis est. Vnde quia libera facultas cunctis præstatur, estote charissimæ id ad quod uos Christi gratia uocauit, estote matres Christi ac sponsæ, estote sorores ac propinquæ: quia quod carne non potuistis, gratia totum condonatum est uobis. Et ideo diligite matrem domini, quæ uobis sponsum genuit immortalem: cuius & uobiscum soror est ipsa, quia uoluntatem patris fecit ut esset mater. Propinqua quidem uobis non carne, sed spiritu: ut unitas commendetur ecclesiæ, & societas corporis Christi intelligatur. Ex quo dñs: Volo pater, inquit, quia ego & tu unum sumus, ut & ipsi in nobis unum sint. Quæ profecto unitas per unum mediatorem dei & hominum efficitur. Facite ergo uoluntatem patris & uos, ut unum esse possitis. Ornate lampades uestras, occurrите sponso, quia iam ad hostium pulsat, & matrē si eam diligitis sequimini. Intus autē parate & ornate lampades uestras, quia filiæ regis estis. Omnis em̄ gloria uestra ab intus sit, & intus habete qđ foris luceat: ne forte inter has solennitates prius q̄p̄ sponsus ueniat, uestre lampades extinguantur. Nam celebritas huius diei, non nisi accēsis lampadibus intus & foris recte colitur. Ideo emendum est oleum dum uacat, ne cum sponsus uenerit, quod absit, uacua inueniamini: Propterea quæ sursum sunt sapite, ubi beata peruenit uirgo, & non quæ super terram: quia uestra cōuersatio (si estis iam quod uouistis) in cœlis fore debet. Illuc dirigite mentem, illuc abscondite uitam uestram: donec pertranseat furor domini, quo beata dei genitrix hodie peruenit: ibi nāq; habetis sp̄sum, ibi pontificē, ibi omnia quæcūq; quaesistis. Illuc dirigite mentem, ut cū Christus uirginis filius apparuerit in fine sæculi, cum ipso & uos appareatis in gloria. Amen.
- D

CENSURA EPISTOLAE SEQVENTIS.

Similiter cadentia, & similiter desinentia, ad nominationes, translationes, aliaq; id genus schemata, deniq; totius sermonis gustus Augustinum sapit. Et in nonnullis libris, lectiones quæ recitantur in festo purificationis hinc decerptæ, nomen illius præferunt.